

qui emerunt bona ad extimariam. ¶ Et si aliqua questio erit coram dominio Tergesti de aliqua pena contenta in aliquo instrumento vel scriptura alia, inter aliquam personam petentem dictam penam et aliam personam se defendentem, tunc
 5 dominium Tergesti dare debeat terminum ad solvendum dictam penam, et in eius discretionem remaneat usque ad quinquaginta vel quadraginta annos¹⁾ vel ad centum et ab inde superius, ita ut²⁾ ex antiqua consuetudine // solet dari, ut dicte 216 B pene potius non exigantur quam exigantur.

10 Cap. XXXVIII. Rubrica de male facientibus facta sua. R.ca.

Item ordinamus quod, si aliquis civis et habitator Tergesti male fecerit facta sua in ludendo bona et possessiones suas desipando et alienando, et aliquis de suis propinquis
 15 comparuerit coram domino potestate civitatis Tergesti et petierit ab ipso domino potestate (et) per ipsum dominum potestatem talem male fatientem pro prodigo pronuntiari,³⁾ et etiam super scalis palatii communis facere proclamare⁴⁾ per preconem communis quod aliqua persona non sit ausa contrahere vel⁵⁾ aliquid emere cum tale male fatiente, tunc dominium Tergesti, facta sibi fide per ipsos propinquos vel propinquum de tali ludo alienatione et dissipatione vel delapidatione bonorum ipsius talis male fatientis, teneatur et debeat incontinenti, dicta fide facta de predictis, pronuntiare [et] declarare
 25 per sententiam ipsum esse prodigum et dissipatorem ut dictum est, et etiam facere proclamare super scalis palatii ut supra dictum est et hoc sacramento, qua pronuntiatione et crida sit factis nulla persona possit emere vendere nec cum eo aliquo modo contrahere de aliqua re tam mobili quam fixa,
 30 et si reperietur aliquem contraxisse post dictas pronuntiationes et cridam, nullum ius sit consecutus nec consequi possit nec sibi ius fiat, et talis contractus sit null[i]us valoris et

¹⁾ annorum. ²⁾ et ita. Stat. 1365: ita ut. ³⁾ pronuntiare. ⁴⁾ proclamare.

⁵⁾ Aggiunta marginale.